tophacei maiores, et minores Faſagines, ſeu Melicembales Rum-
phio vocati. Funguli marini adhuc minores, et diverſæ figuræ:
Caryophilliformes, Olivæformes, oblongi, Clavæformes &c. cum
pluribus eorum Matricibus, ac demum Fungi Glaphyri
dicti Mercato. 257.

V.

Varia Vegetabilia marina naturalia, et foſſilia, ſeu petrificata, nec non corpora concreta, vel ê ſpuma maris, vel ê variis Vegetabilium filamentis.

Tubulariæ marinæ naturales, ac foſſiles cum quibusdam ſpiralibus admodum raris. Milleporæ marinæ naturales, et lapideæ, ſeu Aſtroitæ ex iis producti variæ ſpeciei. Madreporæ marinæ naturales variæ ſortis, et lapideæ, præſertim loracea dicta, valdè elegans et rara, ac demum Coralla marina diverſi coloris, cum et ſine cortice extimo naturalia præcipuè fruticulus quidam ruber inter reliquas quiſquilias marinas mirè excreſcens, ac accreſcens cum pluribus foſſilibus corallinis ê Suecia allatis. Corpora ê maris ſpuma concreta; Alcyonia petroſa, ac cavernoſa et Mileſia ê filamentis plantarum producta: Pori anguini, ſeu Adarcæ, et Pila marina.

VI.

Petrificata, vel alia curioſa ex Inſectis terreſtribus eorumq; partibus.

Caput cuiuſdam Vermis ſeu Serpentis lapideum. Lacerta, Ranula, cum lapidibus odontoidæis. Lingua quædam incognita, et Unguis cuiuſdam Avis. Coſtulæ Beſtiolarum Quadrupedum lapideæ, cum variis aliis oſſibus lapideis matricibus ſuis adhuc immerſis. Ægagropilæ, et Pila vitulina piloſa valde magna.

VII.

Partes Piſcium marinorum petrificatæ cum nonnullis aliis naturalibus.

Gladius piſcis Xiphiæ naturalis cum cuſpide eius petrificatâ. Gloſſopetræ; Triangulares minutim ſerratæ ê piſce Carcharia; Iſoſceleæ læves ê piſcibus marinis Caniculi dictis, Eædem læves, ſed baſi latiore ê piſce Zygæna cum cuiuſque ſpeciei matricibus. Dentes piſcium marinorum profundè ſerrati, et oblongi ê piſce Vaccâ. Bufonitæ diverſæ ſortis ê piſcibus Auratâ &c. cum huius mandibulis, et dentibus naturalibus. et demum Dentes varii hucuſque incogniti.

VIII.